

Wilfried Stroh

De Iano Novák musico et poeta*

De Iano Novák¹ dicturus sum, sodales – quali homine! quanto musico!
Dubius sum, unde incipiam, quo desinam!
Date igitur ueniam mihi,
quod a mea uita exordium sumam uobisque narrabo,
quomodo mihi ipsi Ianus Novák,
quem fortasse multi uestrum adhuc ignorant, olim innotuerit.

Nam ego cum annos quadraginta natus hic in uniuersitate Monacensi
iam per unum paene lustrum professoris munus exercuissem –
maximum munus, ut tum mihi uisumst, et hercle laboriosum –,
nonnihil interdum coepit taedere grammaticae et doctrinae,
qualis in his officinis scholarum et academiaram colitur:
Quam florere ac uigere mihi uidebantur Cicero, Vergilius, Horatius!
Quam languere contra institutio nostra in litteris paene singulis occupata,
scholastico puluere inquinata et sordida!
Nec mirabar cur Latina lingua, cum esset uiuacissima,
tamen a multis ut mortua contemneretur.
Ergo ardore quodam adhuc iuuenili magnum aliquod opus edere uolebam,
magnum, inquam, opus atque inauditum,
quo ueteres Camenas ad uitam quodam modo reuocare possem
ciuesque nostros docere
quantae illecebrae positae essent in Latina lingua litterisque.
Proponebam mihi autem carmen illud Catullianum galliambis scriptum,
quod nomine „Attis“ notum et uulgatum est:

Super alta uectus Attis celeri rate maria ...

Quid si quis hos mirificos uersus ac numeros modis musicis instruat?
Quid si quis saltatores aut pantomimos ad hos modos saltare iubeat?
Nonne hinc fieri possit spectaculum egregium aut scaenicum aut cinematographicum?
Sed unde mihi musicum qui suis modis hoc carmen aptare possit?

* In: *Germania Latina. Latinitas teutonica. Politik, Wissenschaft, humanistische Kultur vom späten Mittelalter bis in unsere Zeit*, ed. Eckhard Keßler / Heinrich C. Kuhn, uol. 1, München 2003 (= Humanistische Bibliothek I, 54), 195-216

¹ Cf. praesertim: Alena Nemcová, „Novák, Jan“, in: *The New Grove Dictionary of Music and Musicians*, editio secunda (2001), uol. 18, 208-210 (ubi scripta plura indicantur); D. Pandula, „Zum Tode des großen mährischen Komponisten Jan Novák“, *Ethologie* 49, 1985, 803-814; Theodoricus Sacré: „Janus Novák (1921-1984)“, in: *Musa superstes: De poesi saeculi XXⁱ Latina schediasma*, Romae 2001, p. 37-39; Wilfried Stroh, „Jan Novák: moderner Komponist antiker Texte“, *Atti dell'Accademia Roveretana degli Agiati* a. 249 (1999), ser. VII, vol. IX, A, p. 33-62, etiam interretialiter editum: http://www.klassphil.uni-muenchen.de/~stroh/j_novak.htm; ibi est etiam Index operum musicorum. Omnia quae de Iano Novák scripta sunt, colliguntur a *Sodalitate LVDIS LATINIS faciundis e.V.* in Bibliotheca Instituti Philologici Classici Vniuersitatis Monacensis (Institut für Klassische Philologie, Geschwister-Scholl-Platz 1, D-80539 München, tel.: 089/2180-3421; <http://www.sodalitas.de>), unde etiam notulae musicae et phonodisci peti aut emi possunt (stroh@klassphil.uni-muenchen.de). Cf. adn. 10 de Rudolfo Spann.

Erat tum in Bauaria nostra inter uiuos Guarnerius (Werner) Egk Suebus,
 admiratione ille quidem dignissimus,
 sed quam remotus atque alienus a litteris Latinis!
 Viuebat etiam tum Carolus Orff Baiuuarus
 non inferior ingenio multoque sane Latinior²:
 at eum ego paratum crederem discere a scholastico galliambos?
 Alium ego musicum quaerebam ac desiderabam
 qui, ut in ueterum familiaritatem aliquam ueniret metrorum,
 grammaticorum ferulas non perhorresceret.

Tunc autem uidi, tunc miro casu incidi in Ianum Novák.
 Erat enim anno MCMLXXXI Augustae Treuerorum conuentus quidam eorum,
 qui Latinis litteris deditos se profitebantur,
 institutus a Romana *Academia Latinitati fouendae*.
 Illic igitur cantores ac symphoniaci alicuius gymnasii edituri erant *Aesopia*³,
 id est cantica musica ad fabulas Phaedri facta a Iano Novák quodam,
 cuius ego nomen iam audiueram ut musici satis docti,
 quem tamen magis propter studia eius quae ferebantur Latina
 quam propter maiora in arte musica merita laudari putabam.
 Quam stupebam igitur, cum primos sonos Novakianos audissem!
 Quam illa mele erant grauia, quam simul suaui!
 Quam et auribus blandiri et animos poterant commouere!
 Deflebam miserum agnum uexatum et dilaceratum a crudeli lupo!
 Ridebam arrogantiam ranae quae bouem aemularetur!
 Sed maxime musicum admirabar
 qui tam uariarum bestiarum ingenia modis effingeret,
 poetam qui tam iocose nugari didicisset
 non rhythmis solum, sed etiam metris.
 Nam introitum operis, in quo Aesopus cum bestiis scaenam ingreditur,
 suis uersibus Ianus Novák ipse pertexit:

En in cothurnis prodit Aesopus novis ...

— — — | — — — | — — — — 3 ia (*iamb. trimeter*)⁴

Atque hic est uerus senarius iambicus, immo trimeter ad legem metricam factus.
 Quid mirum? *Cothurnis* scilicet id est ornatu tragico Aesopus incedit.
 Nec tamen hic tragicus cothurnus aptissimus uidetur bestiis ridiculis,
 quales in Aesopi aut Phaedri fabulis ludere ac ludi solent.
 Quare postea liberius eius lasciuiunt iambi:
 corripit poeta trimetrum in dimetrum,
 dissoluit in breues syllabas longas creticosque etiam
 et unum ionicum (seu molossum solutum) immiscet,
 more mediaeuali etiam homoeoteleutis uersuum terminos ornat:

² Cf. praesertim Werner Thomas: *Das Rad der Fortuna: Ausgewählte Aufsätze zu Werk und Wirkung Carl Orffs*, Mainz & al. 1990 (ubi eiusdem uiri doctissimi scripta plura indicantur). De Orffio cf. etiam infra p. 12.

³ In Indice operum [u. adn. 1] nr. 1 et 2

⁴ In hisce notis siue compendiis metricis maxime sequor James W. Halporn / Martin Ostwald, *Lateinische Metrik* (transl. e sermone Americano), Göttingen 1962, ubi inter *metra* (e.g. *ia*) et *pedes* (e.g. *iaP*) more nunc usitato distinguitur.

... <i>Aesopus, Aesopus uenit.</i>	— — ∪ — — — ∪ ∪	ia ia (<i>iamb. dimeter</i>)
<i>Fit ludus, adest iocus,</i>	— — ∪ ∪ — ∪ ∪	ion (~mol) cr
<i>Huc agit suum pecus,</i>	— ∪ — ∪ — ∪ —	cr ia
<i>Facite uiam! uacet hic locus!</i>	∪ ∪ ∪ ∪ — ∪ ∪ — ∪ ∪	ia ia

Videtis genus quoddam iamborum lyricorum,
in quo tamen dimetrorum figura aliquatenus seruatur.
Sed deinde etiam liberius Plautino more iampos sic ordinat,
ut fine excepto ubique spondei pro iambis admittantur:

<i>In scaenam iam mittit pedem,</i>	— — — — — — ∪ ∪	sp sp sp iaP (pyr)
<i>Amplum secum ducit gregem,</i>	— — — — — — ∪ ∪	sp sp sp iaP (pyr)

Atque hi sunt quasi Plautini quaternarii,
nisi quod iterum ratione mediaeuali inseruntur lepida illa homoeoteleuta,
quibus metra antiqua nouis auribus accommodat nostris.
Tunc uersus iterum corripit, id est una syllaba breuiore facit:

<i>Ducit secum bestias,</i>	— — — — — ∪ —	sp sp cr
<i>Magnas, paruas, medias.</i>	— — — — ∪ ∪ —	sp sp anP

Est autem uenustissimus hic ultimus strophae uersus:
nam exspectes in fine iterum creticum (ut in uersu antecedente), ut sit

<i>Magnas, paruas – horridas (aut uiuidas etc.),</i>	— — — — — ∪ —
--	-------------------

tale aliquid, cum tamen creticus in anapaestum corripitur: *medias!*
Nimirum credas hic aliquem Archipoetam mediaeuaalem scribere,
qui syllabarum dimensiones non curet,
primam uocis *medias* syllabam, quod acuta sit, protrahat.
Sed id tantum ex parte uerum uidetur.
Nam ex ipsis modis musicis manifestum est
Ianum Novák illam *me-* syllabam pro breui, non pro longa, habere.
Tamen hic concedamus necesse est, si uerba ipsa spectamus,
Ianum Novák iam magis in rhythmis quam in metris, ut dicere solemus⁵, uersari.
Qui autem sequuntur uersus, paene puri rhythmici sunt
(rhythmi trochaei, ut ita dicam):

*Bestiae sunt naturales,
Mores habent bestiales,
Legibus uiuunt suis⁶
Magnis, paruus, mediis.*

*Bestiarum sub personis
Demonstrantur cantu, sonis⁷*

⁵ *Rhythmos a metris* primum distinxerunt artes „Palaemonis“ et Bedae; cf. Paul Klopsch, *Einführung in die mittellateinische Verslehre*, Darmstadt 1972, p. 27-32 (ceterum optime de his rebus omnibus egit Dag Norberg, *Introduction à l'étude de la versification latine médiévale*, Stockholm s.a. [1958]).

⁶ Contra leges rhythmicae poesis accentus musicus hic est in ultima: *suís*: sic facilius breuis *u* seruatur.

⁷ Hoc tantum loco propter homoeoteleutem syllaba breuis (*so-* in *sonis*, ut in *personis*) in modis quoque musicis protrahitur.

*Hominum stulta uitia
Magna, parua, media.*

*Haec semper mouebunt risum,
agnum ni fleat occisum
nostra misericordia
magna, parua, media.*

Sed quamquam in his quoque Ianus Novák modos musicos sic instituit,
ut syllabarum singularum natura fere numquam uioletur⁸,
tamen si totum carminis contextum spectamus,
nescio quomodo paulatim pedetemptim
a metricis pedibus ad rhythmos transisse nos sentimus eum in modum,
ut maior illa, si cum Graecis compares, iamborum libertas Plautina
inter metrica uincula licentiamque rhythmicam
quasi media interludere uideatur⁹.
Sed satis uerborum: audite!

INTROITVS AD AESOPIA (1981)¹⁰

Haec tamen, ut dixi, nugae erant,
ab otioso poeta remissis curis et leuiore manu perscriptae.
Quanto maior eius ars erat in modis musicis, quos ad ipsos senarios fecit!
Nam senarius ille iambicus, quo Phaedrus in fabulis usus est¹¹,
metrum est, ut uere fateamur, satis siccum atque aridum,
quo ne apud Plautum quidem actores cantare, sed loqui tantum solebant:

*Ad riuum eundem lupus et agnus uenerant
Siti compulsi. Superior stabat lupus
Longeque inferior agnus ...*

Nonne haec sunt sermoni soluto simillima,
tam numeris quam uerbis ipsis cottidianum usum loquendi redolentia?
Audite igitur, quid inde Ianus Novák Musis et musica fretus fecerit!

LVPVS ET AGNVS (pars prima)

Miram rem actam uidetis:
Seruauit Ianus Novak syllabarum dimensiones seu quantitates,
breues corripit, protrahit longas, etiam synaliphas admittit:

⁸ Cf. tamen adn. 7.

⁹ Nec tamen Ianum Novák (quamquam rerum metricarum curiosissimus erat) id sedulo fecisse crediderim, sed, cum multa e doctrina hauriret, etiam plura eum ex aurium quodam iudicio adinuenisse suspicor.

¹⁰ Exemplum musicum, quod hoc loco audientium auribus praebui, sumptum erat e disco compacto (CD) *Iani Novák Aesopia*, Jenaer Madrigalkreis, Weimarer Klavierduo, moderante Jürgen Puschbeck, quem petentibus missurus est Rudolf Spann (Antike zum Begreifen), Panoramastr. 23, D-82211 Herrsching, <http://www.antike-latein-spann.de> (verlag@antike-latein-spann.de), qui etiam alia Novaciana uendit.

¹¹ Mirantur uiri docti cur non e trimetris ueris ad exempla Graeca uerba fecerit; sed rusticus uersus bestiolarum naturae horridae magis idoneus uidebatur.

Sed uos tandem aliquando cognoscere cupitis, qui uir is fuerit Ianus Novák,
unde ortus sit, ubi educatus, quid fecerit ac scripserit.
Haec ego uos quam breuissime potero docebo.
Natus est igitur A.D. MCMXXI in aliquo oppidulo Morauiae, Nova Rise nomine,
educatus in Iesuitarum gymnasio quodam a magistris seuerissimis,
qui illum, quamquam Latine discere cogebant,
amore tamen linguae inflammare non poterant.
Ex hoc autem gymnasio ante maturitatis examen q.d. relegatus est
propter nimiam, qua semper exsultaturus erat, libertatis cupiditatem.
Nam in publico hominum coetu duas simul secum puellas duxerat,
amplexus, fortasse etiam osculatus erat!
Cui relegato tamen absolueret studia in alio gymnasio licebat.
Postea et Brunnae et Pragae apud optimos magistros, qui tum fuerunt,
musicis studiis sese unicis tradidit;
mox etiam propria opera musica protulit, quorum unum iam Latinum erat.
Nam A.D. MCMXLVII prodierunt eius *Carmina Sulamitis*¹²,
opus factum cantrici et symphoniacis ad uerba Cantici Canticorum,
id est ad partem notissimam Sacrae Scripturae secundum Vulgatam.
In quo opere Ianus Latina uerba tractauit tradito more musicorum
(quem in missis aliisque ecclesiasticis adhibere solent,
nempe sic ut accentus uerborum tantummodo spectent),
sine peculiari illo artificio, quo postea usus erat.
Opus est tamen ingeniosum et plenum amoris,
qui in omnibus, quae adulescens scripsit, regnat et quasi triumphat.
Anno post bursa publica accepta in Americam septentrionalem nauigauit,
ut etiam illustriores magistros adiret.
Instituerunt autem eum Aaron Copland,
inter musicos Americanos indigenas tum facile princeps,
et Bohuslav Martinu, cuius Iani Morauus,
cui semper plurima debere se fassus est,
quemque, ut dixit, uelut „diuinum musicum“ uenerabatur.
Post hunc annum ex America in patriam rediit mirantibus multis:
nam ea interea communistica facta erat.
Ianus autem, quamquam istam disciplinam semper oderat,
in patria tamen aetatem degere malebat:
nimirum ceperat eum ardor oculorum Elissae clauicinae,
quam mox in matrimonium ducturus erat.
Neque ille miser aut nimis paupere cultu uitam trahebat,
sed, quantum in ciuitate socialistica, admodum beate ac laute,
cui ex ipsis operibus musicis satis magnus uictus afflueret.
Scilicet populo illa grata fuisse credendum est;
neque enim Ianus nimis placere poterat eis, qui ciuitatem gubernabant,
quippe qui tamquam de industria ea affectaret
quae ab illis maxime damnarentur,
numeros iazzicos dico et dodecaphonicas Arnoldi Schoenberg artes,

¹² In Indice operum [u. adn. 1] nr. 7

quae tum in Europa occidentali a musicis plurimis colebantur.
 Quam rationem ac disciplinam postea relicturus erat,
 tum uero eam colebat,
 ut commercium esse sibi cum occidente indicaret.
 Sed quid attinet ea uobis enumerare opera,
 quibus tunc ad aliquam famam ac gloriam uenit?
 Nondum illa ad Latinas litteras pertinebant.

Quando igitur hoc studium eumque amorem Latinitatis natum esse dicamus?
 Erat Ianus Novák, ut uidetur, fere triginta quinque annos natus,
 non iam igitur adulescens, sed iam aetate robustior,
 cum subito tamquam in morbum incidit in amorem linguae Latinae.
 Subito incidit, inquam, secundum illud Vergili: *ut uidi, ut perii* –
 sic enim uerissimus amor ille quasi e primo conflictu oculorum oriri solet.
 Neque adhuc, quomodo id factum sit, satis scimus.
 Amicum aliquem Iani ferunt¹³ in uia obiter usum esse prouerbio aliquo Latino.
 Quod cum Ianus non bene intellexisset,
 bibliothecam aliquam adisse, consuluisse libros dicitur.
 Inde nescio quomodo amor ille subitus ac repentinus natus est:
 suis uidelicet illecebris eum Latina lingua, Latinae Camenae tenebant.
 Ac si forte quaeratis, quid ei potissimum his in litteris arriserit:
 Non erat profecto uis sententiarum aut sapientiae copia,
 erat ne illa quidem lucida Latini sermonis perspicuitas,
 propter quam eum formandis et acuendis ingeniis aptissimum dicunt:
 erat, ut olim in Francisco Petrarca Ciceronis studioso,
*uerborum dulcedo quaedam et sonoritas*¹⁴ quae eum detineret,
 erant praesertim numeri illi oratorii et poetici quos amaret.
 Quantus autem tunc amor ille exarsit!
 Non sat habebat Ianus Latina legere et intellegere,
 mox etiam Latine loqui coepit
 amicosque etiam ad haec sua studia et ad colloquia Latina incitabat
 (ut postea in me quoque facturus erat).
 Nec more in scholis tradito litteras appellare et pronuntiare uolebat;
 displicebat scilicet Catulliana illa cantilena [Catull. 2,1]:

Passer delitsiä meä puellä

quae, ut ipse dixit, balatui magis ouium (*bäbä!*)
 quam poetico carmini similis uideretur.¹⁵
 Ipse hanc ueram ac diphthongicam enuntiationem praefererat:

*Passer delikiäj meaj puellaj*¹⁶

¹³ Quae hic refero, e magna parte mihi relata sunt ab Elissa Iani uidua, etiam a Dora filia.

¹⁴ „Epistularum de rebus senilibus liber XV“, epist. 1 (*Francisci Petrarcae opera*, t. 2, Basileae 1554 [it. impr. 1965], p. 1046)

¹⁵ Jan Novák, *Musica poetica Latina: De versibus Latinis modulandis*, edidit, praefatus est, versione Germanica commentarioque instruxit Valahfridus (Wilfried Stroh), Monachii in Conventu „Germania latina – Latinitas teutonica“ m. Sept. 2001, p. 8; hoc opere Ianus primum agit de pronuntiatione, deinde de prosodia, denique de metrica.

Sic tandem sentimus Catullum poetam, nec de grege poetam fuisse.
 Ianus autem ad irridendam ueterem illam scholarum consuetudinem
 etiam carmen fecit sub titulo *cantilenae aeaeae*¹⁷
 (i.e. in insula, cui nomen est „Aea“, natae),
 cui subscripsit: *pronuntiationis „mediae“* (i.e. mediaeuali) *amatoribus*.
 Vbi caue sic pronunties: *kantilenä äää!*
 Hoc carmen¹⁸ autem,
 quod tam iucundum quam nugatorium est sensuque plane caret –
 est enim ex eo genere quod etiam nunc nomine *Ineptiarum*,
 Anglice „nonsense poetry“, dicitur –
 sic incipit:

*sirenae dulce cantabant
 et sibyllae sibilabant
 ai ai a
 aeaea in insula
 circulos circe ducebat
 ciceronem circinabat
 ai ai a
 aeaea in insula
 ciceronem cincinnatum
 qui ibi ibat piscatum
 ai ai a
 aeaea in insula
 cave bone cicero
 porcum ex te finxero
 ai ai a
 aeaea in insula*
 etc. etc.

Sic quasi inculcatur ille a Iano probatus *pronuntiatu restitutus* (quem dicunt).
 Carmen hoc autem, ut uidetis, rhythmicum est,
 ut multa sunt carmina Iani Novák, quae tum fecit.
 Scripsit tamen quaedam etiam incertis aut solutioribus numeris
 (ad imitationem recentium quorundam poetarum),
 ut est illa *Meditatio canina*¹⁹, quam *cani professoris eberle p.l.*²⁰ dicauit:

¹⁶ Haec est ipsius Iani notatio phonetica; quam seruaui, quamquam *a* et *e*, si diphthongice coniungas, uel per se eum sonum efficiant qui more linguae Germanicae „ai“, Bohemicae siue Morauicae „aj“ scribitur.

¹⁷ Ludit hoc uerbo sonorissimo *Aeaeae* iam Vergilius in Aeneide (3, 386); cf. J.C. McKeown (ed.), *Ovidi Amores*, vol. 3: *A commentary on book II*, Leeds 1998, p. 320 sq. (ad Ov. am. 2, 15, 10).

¹⁸ Editum est et hoc et subsequens carmen in libello cui titulus erat *Ludicra* (Brunnae Nou. 1964, qui tamen plenus est mendarum typhotetae); ei Ianus suprascriptit Horatianum illud „*dulce est desipere in loco*“. Anno post diuulgauit etiam *Suauiloquia* (Brunnae Ian. 1966), qui est „*tener liber versuum teneriorum de rebus tenerrimis*“, i. e. magis amatorie scriptus. Vterque libellus lepidis picturis ligno incisis (a J.M. Najmr quodam) ornatus est. Carmina quae postea plurima scripsit, singula edita sunt, magna pars inedita adhuc in scriniis iacet. Quae nunc colligo omnia, ut aliquando (cum translatione breuique commentario) edantur.

¹⁹ Quam tribus feminarum uocibus aptatam etiam modis musicis instruxit; uide in Indice operum [u. adn. 1] Nr. 50.

²⁰ Hic uir qui unus hoc saeculo e poetis Germanis poetica laurea (*p.l.*) insignitus est (cf. Monika Balzert, „Rühmen und gerühmt werden: Josef Eberle als lateinischer Dichter“, in: Karlheinz Geppert [ed.], *Josef Eberle:*

bau bau
sum canis
quid stupes?
quin tibi dico: sum canis
habeo caudam et aures demissas
etiam latro
sum canis sed haudquaquam latro
ne me male intellexeris:
ego quidem latro sed non sum latro
sum canis
latrones non latrant
sunt homines et homines latrare non solent
homines non latrant sed homines sunt latrones
et utuntur latrinis!
minime ego
homines utuntur latrinis et ferro
ego milliarum praefero et ossa
quidni praeferam?
non sum homo
sum canis
et latro
bau bau

Alia carmina paulo magis seria etiam metris inclusit, ut hoc quod scripsit quasi prooemium *Iocorum uernalium* (1964)²¹:

His hilaris notulis chartas complevimus albas,
dum nostri rimas animi distendit amoenus
veris spiritus exhalans tunc undique odores
atque tepores, dum nares aures oculosque
titillat modo flos varius modo laeta avium vox.
(Ne mirere meis hanc vocem blandiloquentem
paginulis ultro irrepsisse et dulce sonantem!)
O ver alium, o ver gratum, verque venustum!
Nostra foves tu corpora, laetificas hominum cor,
mites reddis anus vetulas rigidosque Catones!

Confiteor hic inesse quaedam ab usu optimorum poetarum remotiora,
 ut in uersibus altero et tertio lex caesurae negligitur;
 sed tamen propter ipsam illam negligentiam
 hi uersus suauitatem quandam atque gratiam molliorem habent.
 Quam arridet ille ipse uersus (contra leges) tripertitus:
O ver alium || o ver gratum verque venustum,

Poet und Publizist, Stuttgart/München 2001, 139-162, ibi 154 sq., et quae eadem scripsit in hoc uolumine, p. 889 sqq.), inter Iani amicos erat; cuius nonnulla carmina modis suis digna existimabat, cf. in Indice operum (u. adn. 1) nr. 33, 35, 52, 54.

²¹ In Indice operum [u. adn. 1] nr. 49; de quo opere scripsi in *Jan Novák – zum 80. Geburtstag des tschechischen Komponisten und Humanisten*, München 8. 4. 2001 (libellus acroasis musicae siue symphoniaceae in Magna Aula Vniuersitatis Monacensis editae); ibi etiam carmen supra laudatum Germanice uersum inuenitur.

ubi etiam hiatus admittendus uidetur.

Sane hic quoque aliquid e medio aevo immixtum cognoscimus,
in quo *Ioci uernales* (e *Carminibus Buranis* sumpti²²) toti uersantur.

Sed etiam in metricis carminibus Ianus Novák nonnulla nouare conatus est.

Sic, cum, ad imitationem Horatiani illius *Miserarum est neque amori*,
in *Ionicis quibus ver saluere iubetur* ionicos a minore adhibet,
quod etiam iucundius uer celebrari et salutari posse existimauit,
si omnes uoces ab *u* consonante (aut *v* semiuocali, ut nunc dicunt) inciperent.
Fecit autem sic:

*Veniet ver violarum varia veste venustum,
valide vivida vexilla vibrans, ver violens
virginibus, vestra voluptas.*

*Veniet ver, veniet, vivificans vos veluti
verbere virgae, virides visite valles, veteres
verrite vepres: veniet ver.*

*Veniet ver: vigilate et Venerem versicolorem
vehementer venerantes valida voce vicissim
vocitate: eia, ave ver!*

Sed iam nimis diu uos in his nugis poeticis detineo.

Nam Ianus ipse, quamquam carmina aliqua iam tum in publicum ediderat,
tamen numquam se maximum uatem²³, semper bonum musicum credidit.

Qui tunc, postquam ad Latinas litteras

quasi uitae quadam conuersione sese applicauit,

etiam suos modos musicos – non omnes, sed plurimos et grauissimos –
dicare coepit illis Camenis.

Atque initium fecit ab Horatio, cuius ex Odis decem carmina
uoci barytonae clauibusque accommodauit²⁴.

Vellem hoc opus uobis uiua, ut aiunt, uoce demonstrare possem!

Iam hic enim summa illa ars Iani Novák elucet et apparet,

qua metra et numeros antiquorum diligenter effingit et exprimit eo

quod omnes syllabas longas protrahit, breues corripit

(ut iam in *Aesopiis* ex parte cognouimus).

Hoc modo iam saeculo decimo sexto musici, humanistae qui dicuntur,

modos suos ad carmina Horatiana fecerunt,

ut Petrus Tritonius, Ludouicus Senfl, Ioachimus Hofhaimer.²⁵

Hi tamen sola metra spectabant


²² Verba et translationem inuenies in libello laudato [supra adn. 21]; uoluit scilicet Ianus hoc opusculum, cui etiam aleatoria quaedam (ut tum nouissima) inseruit, quasi opponere notissimis illis Orffii *Carminibus Buranis*.

²³ Nimis modeste tamen scripsit olim ad Iosephum IJsewijn (Kal. Apr. 1965): „Non hercle poeta sum [...] tamen latininitatis amore correptus nugas quasdam scriptitare coepi“, quem locum affert Theodoricus Sacré in *Musa superstite* (cf. supra adn. 1). Idem Sacré de poesi Novaciana bene iudicauit hoc scripto: „De Iani Novák carminibus: in memoriam suavissimi poetae“, *Melissa* 5 (1985), 5-7.

²⁴ Cf. in Indice operum [u. adn. 1] nr. 15; de quo opere egi in disputatione *Jan Novák ...* [supra adn. 1] p. 41-42.

²⁵ Cf. quae nunc laudant scripta Peter Bergquist / Stephen Keyl, s.u. „Tritonius, Petrus“, *The New Grove Dictionary of Music and Musicians*, editio secunda (2001), uol. 25, 749-750 et W. Stroh in: J. Novák, *Musica poetica Latina* [u. supra adn. 15] p. 56.

Atque eo modo primum Horatium lyricum tractauit,
 deinde lyricum alterum maximum Romanorum, Catullum²⁷.
 Quod cum faceret, praesertim in *Lesbia* quattuor uocibus uirorum scripta²⁸
 sine dubio quasi in certamen descendere uoluit
 cum notissimis illis Caroli Orffi *Catulli carminibus*²⁹,
 quorum uitia metrica et prosodiaca ridere solebat.
 Nam praeterquam quod Orffius alioqui summo ingenio praeditus
 syllabarum dimensiones, ut plurimi, non curat,
 etiam uerborum accentum,
 qui ceteris tamen quasi sacrosanctus uidebatur, crudeliter uexat,
 ut in hoc: *quáre || id fátsiam fórtasse réquiris* [Catull. 85, 1]
 aut in illo choliambo [Catull. 8, 1]:
Miser Catulle, desínas ín-e-ptíre ... (correpta antepaenultima!).



„Miserum Catullum vere, inquit,
 qui in manus venit istius occisoris choliamborum!“³⁰
 De quo aliquando etiam hos facetos senarios fecit:

*Nobis ex Orpheo tantum remansit Orff,
 multos Latinos fecit qui suaves modos.
 In his at unam servat regulam: nihil
 Donati regulam valere in musica.*³¹

Neque in lyricis cantui natura ipsa destinatis constitit:
 etiam Sulpiciam elegiacam choro feminarum aptauit³²
 nonnullosque poetas mediaeuaeles et recentes suis exornauit modis.
 Maximum autem opus eius quod tum Brunnae fecit est *Dido*
 (ex Vergili Aeneidos uersibus composita)³³,

²⁷ Primum (1962) tractauit *Passerem* (in Indice operum [u. adn. 1] nr. 25) more dodecaphonico (cf. Stroh in: *Jan Novák – zum 80. Geburtstag* [u. supra adn. 21]), deinde [1968] *Lesbiam* (u. infra adn. 28); cf. Catulliana in *Schola cantante* (Ind. op. nr. 29) et *Canticis latinis* (Ind. op. nr. 6).

²⁸ In indice operum [u. adn. 1] nr. 8 *Catulli Lesbia choro virorum concinenda* (1968); de quo opere egit diligentissime Cornelius Mader, *Untersuchungen zu Catull-Vertonungen im 20. Jahrhundert: Carl Orffs „Catulli Carmina“ und Jan Nováks „Catulli Lesbia“*, Musikwissenschaftliches Seminar der Universität Heidelberg 1999 (dact.), cuius libri exemplum est etiam in bibliotheca Instituti Classici Monacensis (u. supra adn. 1).

²⁹ *Catulli Carmina: Ludi scaenici*, 1943; cf. Joachim Draheim, *Vertonungen antiker Texte vom Barock bis zur Gegenwart*, Amsterdam 1981, p. 180; Werner Thomas, „Latein und Lateinisches im Musiktheater Carl Orffs“, *Der altsprachliche Unterricht* 23, 1980, 5, p. 29-52

³⁰ *Musica poetica* [u. supra adn. 15] p. 20

³¹ In: *4^{ème} Congrès pour le Latin Vivant, Avignon du 1^{er} au 3 Avril 1969*, s.l., s.a. (Avignon 1969), p. 179

³² *Amores Sulpiciae* (1965), in Indice operum [u. adn. 1] nr. 3

³³ In Indice operum [u. adn. 1] nr. 10; hoc opus in disco compacto exceptum est egregie moderante Raphaelae Kubelik Iani amico Symphonicos Radiophoniae Bauaricae (prostat autem in taberna Rudolphi Spann, cf. supra adn. 10).

cuius uerba uocibus diuersis et symphoniacis attributa sunt.
 Atque ipsius Didonis dicta a mediae uocis cantrice cantantur,
 uerba poetae autem referuntur et a *recitatore* (qui dicitur),
 id est histrione, qui non cantat sed loquitur,
 et a choro uirorum, cui id praesertim muneris datum est,
 ut per apostrophen Didonem consoletur atque alloquatur
 (quod sane ualde Vergilianum est).
 Audietis autem nunc eam partem operis, qua Dido,
 cum Aeneae fugam ac perfidiam comperit, ira exardescit
 ipsumque amicum qui fuit, diris prosequitur, exsecratur [Aen. 4, 607-621]:

DIDONIS EXSECRATIO

Quod Dido Aeneae his uersibus imprecatur, ut sit *finibus extorris*,
 ut expellatur, eiciatur e terra quam sibi elegerit,
 id in ipso Iano Novák eheu omen erat uerissimum.
 Vno anno postquam Dido primum edita est,
 migrare et fugere e patria cogebatur.
 Erant ei, ut dixi, ueteres quaedam inimicitiae cum factione communistica,
 quae tum in Bohemoslouacia res gubernabat;
 qua re etiam aliquando e Sodalitate musicorum publica eiectus erat.
 Atque illud quidem ei, cum postea furtim restitueretur, non nimis nocebat.
 At cum postea A.D. fatali MCMLXVIII illud *Ver Pragense* illuxisset –
 et uos iam nostis quam Ianus amicus fuerit ueris – ,
 inter eos fuit quos libertatis amor ad nimiam uerborum audaciam impelleret.
 Quare *Vere* illo cataphractis Souieticis deleto atque extincto
 Brunnam Morauiamque relinquere statuit,
 ut se suasque – nam interea duae filiae natae erant – tueretur.
 Cuius calamitatis patriae in operibus postea scriptis
 uestigia plurima deprenduntur,
 ut in *Igne pro Ioanne Palach* ad proprios hendecasyllabos facto³⁴
 aut in lamentabili *Planctu Troadum*³⁵,
 quo Senecae tragici uerbis mulieres cantantes de Troia queruntur,
 cum de Praga Brunnaque cogitare uideantur.
 Etiam agnus ille Phaedri, quem nostis,
 imago est, ut aperte ipse dixit, Bohemoslouaciae a lupis direptae Souieticis.
 Sed maxime manifesta eius fit ira e poemate
 quod A.D. MCMLXX scripsit hoc titulo: *Furens tympanotriba*³⁶,
 quod carmen in Certamine Hoeufftiano etiam praemium meruit.
 In quo, ut nomen ipsum indicat,
 totum orbem terrarum tympanis eisque hendecasyllabicis

³⁴ 1969, in Indice operum [u. adn. 1] nr. 46; neque antea uersus a se ipso compositos Ianus ad modos adhibuisse uidetur.

³⁵ In Indice operum [u. adn. 1] nr. 26

³⁶ Carmen hoc frontispicio typis expressum est: *Furens tympanotriba (Bohemoslovia a.d. XII. Kal. Sept. MCMLXVIII.): carmen Iani Novák in certamine poetico Hoeufftiano magna laude ornatum, edidit Academia regia disciplinarum Nederlandica Amstelodami MCMLXX* (1970). Cf. de hoc carmine Dirk Sacré, „Een hedendaags Latijns gedicht: ‚Furens tympanotriba‘ van Jan Novák“, *Kleio*, N.R. 14, 1984, p. 73-81.

aduersus libertatis hostes concitare et armare conatur.
 Hi uersus ope musica non egent:
 tanta uis musica praediti ipsi per se uidentur.
 Audite aliquos locos e carmine furiosissimo sumptos:

*Qui loqui nequeunt, licet quibus non
 se defendere torva cum manus iam
 fauces strangulat opprimitque vocem,
 qui mansereque sub iugo furoris
 fratres et socii patres amici,
 vivis pro omnibus hisce mortuisque
 orator sum ego factus et poeta
 et trux tympanotriba, verba quamquam
 et facundia vis potentia illa
 Tulliana mihi aut Catulliana³⁷
 sunt nusquam [...]*

*Factum est ecce diem ante ter quaternum
 Septembres – niger est dies – Kalendas:
 Ut fures bene nocte se tegentes
 cum satellitibus suis in armis
 turba barbara turpis et ferox et
 saeva sordida militum rubrorum
 invasit patriam meam quietam,
 abundant ubi aquis amoena prata,
 veris flos ubi floret atque vernat
 in saxis ubi pinus et susurrat,
 terram mellifluam diisque gratam,
 invasit spoliavit occupavit
 immanem horribilemque et intulit vim
 et cultae bene comi et hospitali
 genti, quae sua curat arva aratque
 libertatis amans piaequae pacis.
 Invasere nihil nihil verentes,
 invasere nihil nihil pudentes,
 in tantum valet usque vis superba
 et licentia – ius potentiorum.*

*Conclamant homines et unica est vox
 audita undique consona atque fortis:
 HEUS QUID RUSSE VENIS? TIBI QUID HIC VIS?
 QUIDVE OPTAS? AGE IAM DOMUM FACESSE!³⁸
 [...]*

³⁷ Cogitare uidetur praecipue de prima Catilinaria, quam postea (in *Politico*) modulaturus erat, et de Catulli carmine 29: *Quis hoc potest uidere ...?*

³⁸ Hi duo uersus ad similitudinem carminis Catulliani (u. supra adn. 37) tamquam intercalares saepius recurrunt.

*Nunc pauper fugitivus et vagans, nunc
 exspes et patriae domoque ego exsul
 vocem tollo nimis dolore fractam
 et raucam nimis atque exasperatam,
 vocem tollo tamen furenter atque
 tundo tympana turturesque³⁹ turbo,
 tundo tympana torpet et manus iam,
 usque at tympana tundo ego tonanter
 crebris verberibus ciens severos
 versus verbaque veritatem amaram:
 O gentes, populi, cavete et omnes
 qui ius fasque fragrans opusque pacis
 vitam liberam amatis atque rectam,
 cauti sitis et hoc cavete⁴⁰ rursus:
 per terras maria arduosque caelos
 ambit russa manus, manus cruenta
 pestem perniciem serens ubique,
 ambit continuoque et appropinquat:
 PROXIMUS PARIES videte IAM ARDET!⁴¹*

Similem libertatis amorem spirant etiam,
 quas postea scripturus erat, *Columbae Pacis*⁴²,
 et, quod hodie auscultabitis, *Politicon*⁴³.
 Obscurius autem exilium suum significat in *Fugis Vergilianis*⁴⁴,
 ubi scilicet uox *fugae* duplici sensu intelligenda est.

Sed nos pergamus de Iani uitae quantum reliquum erat dicere.
 Fugit autem Ianus, *pauper fugitiuus et uagans*, e Germania in Daniam,
 e Dania in Italiam, ex Italia iterum in Germaniam,
 ubique hospes, nusquam ciuis uerissimus –
 ut qui musicis semper nimis Latinus, grammaticis nimis musicus uideretur:
 pauci, ut Iosephus Eberle poeta quem diximus –
 qui tamen grammaticus non erat –
 et Guntherius Wille litterarum Latinarum professor Tubingensis⁴⁵
 et C. Arrius Nurus poeta grammaticusque Americanus doctissimus⁴⁶
 ingenium eius atque indolem recte aestimabant.

³⁹ Nimios pacis amatores dicere uidetur, qui columba a Pablo Picasso facta pro signo utebantur.

⁴⁰ Sic manu Ianus in exemplo priuato ac domestico correxit; nam antea scripserat typisque mandauerat: *percauti sitis et caute*, quod mendum fugit uidelicet etiam certaminis iudices!

⁴¹ Laudat Horatium, epist. 1, 18, 84 *nam tua res agitur, paries cum proximus ardet*.

⁴² *Columbae pacis et aliud pecus: carminum contra libertatis nostrae oppressores series*, 1971, in Indice operum [u. adn. 1] 40

⁴³ Cf. infra adn. 56.

⁴⁴ Index operum [u. adn. 1] nr. 13; nam uerbum *fugae*, praesertim apud poetas, idem ualet atque *exilium*.

⁴⁵ Guntherio Wille scripsit *Gratulationem* Vergilianam (in Indice operum [u. adn. 1] nr. 14), dedicauit Horatianum „*Musis amicus*“ (Ind. op. 20).

⁴⁶ De quo cf. Gilbert Tournoy / Dirk (Theodoricus) Sacré (edd.), *Pegasus devocatus: Studia in honorem C. Arri Nuri sive Harry C. Schnur*, Lovanii 1992 et quae Theodoricus nunc laudat in *Musa superstite* (u. supra adn. 1), p. 28 sq.; cuius uersus ingeniosissimos Ianus non semel modulatus est, cf. in Indice operum [u. adn. 1] nr. 33, 34, 51.

Quamquam Italia ei, ut par erat, maxime arrisit.
 Illic Roboreti in urbe amoenissima, ubi fuit inde ab A.D. MCMLXIX,
 praesertim in illius Academia Lentulorum,
 Musarum amicos inuenit qui secum loquerentur Latine;
 illic Zanibon musicopola experientissimus eius opera uenditabat,
 illic scholis musicis habitis sustentare uitam licebat.
 Quare non mirum est eo tempore Iani studia
 ad iuuentutem potissimum esse conuersa:
 iuuentuti composuit et duo *Florilegia* cantionum praecipue mediaeualium
 et *Scholam cantantem*, qua scriptores grauissimi antiqui
 ad numeros modosque iazzicos eosque popularissimos
 dicere, cantare, paene etiam saltare coguntur.⁴⁷
 Sed iucundissima sunt quae ipse scripsit modisque ornauit *Dicteria (in puellas)*⁴⁸,
 in quibus Musa Latina magis pueriliter quam umquam antea
 nugari et iocari ad cantum chordasque didicit.
 Audite uersus altioris cuiusdam, ut olim dicebant, stultitiae plenos
 cantatos a choro Gymnasii Pestalozziani Monacensis
 moderante Rita Weindauer:

I. *Cum poetica me rapit furia,
 in te dico lepida dicteria,
 sis Camilla sive tu Aurelia,
 cum poetica me rapit furia.*

II. *Calypso
 Sibi crus in buxo
 fregit o Calypso
 et ab illo die ipso
 portat crus in gypso.*

VII. *Veronica
 In lactuca atque brassica
 legit poemata classica
 inter bellas pupas unica
 verus veris flos Veronica.*

E iuuentute Roboretana etiam chorum cantorum sibi Ianus collegit,
 cui nomen dedit *Vocum Latinarum*,
 quibus fretus primum *Ferias Latinas* edidit, nouum genus ludorum,
 quibus musici, poetae, oratores Latini suas artes exhiberent⁴⁹ –
 eis postea *LVDI LATINI* in Germania successuri erant⁵⁰ –;

⁴⁷ Cf. in Indice operum [u. adn. 1] nr. 12 et 29. *Schola cantans* Iano ipso moderante auditur in disco compacto nuper (a. 2001) confecto, quem uendunt *Sodalitas L.L.f. e.V.* (u. adn. 1) et Rudolfus Spann (u. adn. 10).

⁴⁸ Cf. in Indice operum [u. adn. 1] nr. 41

⁴⁹ Exstant aliquot libelli ad eas *Ferias* ab Academia Lentorum Roboretana editi, inter quos eminent *Textus poetici*.

⁵⁰ Cf. John Skow: „Call This a Dead Language? In Augsburg, Latinists gather for ludi et colloquia“, *Time* 20. 5. 1985; W. Stroh: „O Latinitas! Erfahrungen mit lebendigem Latein und ein Rückblick auf zehn Jahre Sodalitas“, *Gymnasium* 104, 1997, p. 271-290, ibi 278 sqq.

Roboreti scripsit *Dulcitium* fabulam scaenicam et musicam
 ad uerba Rosuithae poetriae Ganderhemensis⁵¹;
 ibi etiam praeter musica plurima disputationem illam confecit,
 quam ad exemplum, puto, Igorii Stravinsky⁵²
 titulo inscripsit *Musicae poeticae Latinae*,
 in qua primus e musicis grammaticisque,
 quomodo Latini uersus modulandi, id est modis instruendi essent,
 doctissime atque copiosissime demonstrare conatus est.
 Quod opus equidem hoc ipso die,
 in usum musicorum, in gaudium grammaticorum,
 in honorem huius nostri *Germaniae latinae* Conuentus edo ac publico.

Sed, ut est in *Fugis Vergilianis*, *fugit interea, fugit irreparabile tempus*,
 cuius modum mihi a uobis constitutum nolo excedere.
 Breuissime igitur dico Ianum A.D. MCMLXXVII in Germaniam migrauisse,
 quae aliquanto ampliozem uictum polliceri uideretur,
 ibique sedem collocauisse Neo-Vlmae, in Bauaria nostra.
 Nec de tot operibus septennio Bauarico scriptis nunc disserere licet.
 Coepit autem, ut id unum dicam, etiam Graecae Musae musicaeque operam dare,
 ut in sonata iam satis nota quae est de *Sicili cantico* (siue *Super Hoson zes*⁵³).
 Atque ultimis illis quos composuit modis musicis –
 quamquam tempora tum paulo laetiora uidebantur
 et *Aesopiis* cum maximo plausu grammaticorum actis
 et *LVDIS LATINIS* A.D. MCMLXXXIII primum felicissime institutis –
 ultimis modis, inquam, uelut ac si de morte sua uaticinaretur,
 acerborum dissonantiumque sonorum multo plus quam solebat admiscuit:
 dico cum alia tum eam ipsam sonatam quam nominauit
 et praecipue diuinam illam *Sonatam Ecclesiae secundam*⁵⁴,
 quam tibiae obliquae fecit atque organo
 (quod mihi aliisque inter omnia eius opera excellere,
 quoniam quasi imaginem quandam praebeat Iani ipsius uitae, uidetur).
 Sed quamquam A.D. MCMLXXXIV morte praematura abeptum amicum dolebam,
 gratulor mihi, quod paucissimis tamen annis
 talem uirum nosse, tali amicitia frui licebat.
 Neque enim opera musica sola eius et doctrina egregia
 me in admirationem rapuerunt suam,
 sed totam uitam moresque, miram constantiam et comitatem,
 pro exemplo quodam uitae humanissimae habere
 et, quantum possem, imitari constitui.
 Vos autem, ut ex hac parte saltem cognoscatis singularem uirum,
 audite mecum Horati *Epodum XV*,

⁵¹ In Indice operum (u. adn.1) nr. 43; cf. W. Stroh, „Jan Novák: Dulcitius. Welturaufführung 6. 10. 1990. Brünn“, *Oper und Konzert* 28, fasc. 12, p. 12-13; iterum in: *Mitteilungsblatt des Deutschen Alphilologenverbandes* 34, fasc. 1, 1991, p. 2-4; exstat in Bibliotheca Institutii Classici Monacensis capsula (s. uideocassetta), qua actio illa scaenica Brunnensis (excepta a teleuisione Bohemoslouacica) continetur.

⁵² I. Str., *Musikalische Poetik* (primum Francogallice: „Poétique musicale“), Mainz 1949.

⁵³ In Indice operum (u. adn. 1) nr. 31

⁵⁴ In Indice operum (u. adn. 1) nr. 107: „Sonata da chiesa II“

in quo Ianus ipse cantoris monodi munus sustinet,
uoce sane grauissima eademque blandissima⁵⁵.
Cetera post debitum interuallum nuntiabunt *Singphoniaci* Monacenses.⁵⁶
Ego uobis iam uale dico.

NOX ERAT

⁵⁵ Exemplum sumptum est ex illo disco compacto *Scholae cantantis* (u. supra adn. 47).

⁵⁶ Cantaturi erant *Singphoniaci* illud *Politicon* (in Indice operum [u. adn. 1] 27), quod Ianus aduersus liberae rei publicae hostes e Ciceronis *Catilinaria* prima, Senecae *anapaestis*, C. Arrii *Nuri*, Iudaei *Americani*, epigrammatibus in murum Berolinensem scriptis composuerat. Miro casu aut fato id opus exhibebatur continuo post scelestissimum impetum illum, quo noui *Catilinae Gentium Commercii Arcem* („World Trade Center“) Americanam ruina terribili destruxerunt. Quod et cantoribus et oratori mihi post *Politicon* cum plausu exhibitum denique innotuit. Crederes Ianum ipsum post mortem, quid de nouissimis rebus sentiret, dicere.

Cicero, Seneca, Harry C. Schnur

Texte zu Jan Nováks Politicon*

Zyklus für Männerchor a cappella (1977)
Texte (mit Übersetzungen von Wilfried Stroh)
zur Uraufführung durch die Singphoniker
am 11. September 2001
beim Kongress „Germania latina – Latinitas teutonica“
in der Universität München

I. In Catilinam

(Cicero, Cat. 1, 1-2¹)
Magno impetu

Quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?
quam diu etiam furor iste tuus nos eludet?
quem ad finem sese effrenata iactabit audacia?
Patere tua consilia non sentis?
constrictam omnium horum scientia coniurationem tuam non vides?
quid proxima, quid superiore nocte egeris?
ubi fueris? quos convocaveris? quid consili ceperis?
quem nostrum ignorare arbitraris?
O, o, o tempora, o mores!
senatus hoc intellegit, consul videt: hic tamen vivit.
Catilina.

I. Gegen Catilina

(aus Ciceros erster Catilinarischer Rede)
Mit großer Leidenschaft

Wie lange noch willst du, Catilina, unsere Geduld missbrauchen?
Wie lang soll uns dein Aberwitz noch verhöhnen?
Wann endlich hast du nicht mehr die Stirn, dich so hemmungslos aufzuführen?
Merkst du nicht, dass deine Pläne entdeckt sind?
Siehst du nicht, dass alle hier deine Verschwörung kennen und sie im Griff haben?
Was du in der vorletzten Nacht, was du in der vergangenen Nacht getrieben hast,

* In: *Germania Latina. Latinitas teutonica. Politik, Wissenschaft, humanistische Kultur vom späten Mittelalter bis in unsere Zeit*, hg. von Eckhard Keßler und Heinrich C. Kuhn, Bd. 1, München 2003 (= Humanistische Bibliothek I, 54), 217-220

¹ Text leicht gekürzt

*wo du warst, welche Leute du zusammengerufen, welchen Plan du gefasst hast –
wer von uns, meinst du, wüsstest das nicht?
O, o, o was für eine Zeit! O was für eine Moral!
Der Senat weiß es, der Consul sieht es. Er aber lebt.
Catilina.*

II. In obitum C. Claudii imp.

(Seneca, apoc. 12, cant. 1-5, 19-22a, 27-31) dimetris anapaestis
Funebri motu (sed ironice!)

Fundite fletus, edite planctus,
resonet tristi clamore forum:
cecidit pulchre cordatus homo,
quo non alius fuit in toto
fortior orbe.
fundite fletus, edite planctus,
resonet tristi clamore forum.
Deflete virum, quo non alius
potuit citius discere causas
una tantum parte audita,
saepe et neutra.
Caedite maestis, pectora palmis,
o causidici, venale genus,
vosque poetae lugete novi,
vosqu(e) inprimis, qui concusso
magna parastis lucra fritillo.
O o o!
fundite fletus, edite planctus,
resonet tristi clamore forum.

II. Auf das Hinscheiden des Kaisers Claudius

(aus Senecas Apocolocyntosis) in anapästischen Dimetern
Im Duktus der Totenklage (aber mit Ironie!)

*Vergießet die Tränen, erhebet die Klagen,
von Wehgeschrei töne voll Trauer das Forum:
Ein Mensch ist gestorben so herrlichen Geistes,
dass keiner auf Erden dem Trefflichen gliche
an tapferem Mute.
Beweinet den Wackern, der schneller als jemals
ein anderer Richter war kundig der Fälle,
obschon er nur einen der Streiter vernommen
(und öfter auch keinen).*

*Zerschlaget euch schmerzlich die Brüste mit Händen,
 ihr Rechtsanwälte, ihr käufliche Sippe!
 Du, traure mit Tränen, poetischer Nachwuchs!
 Ihr aber vor allem, die immer ihr Würfel
 dem Becher entschüttelnd die Schnäppchen euch finget!
 O o o!
 Vergießet die Tränen, erhebet die Klagen,
 von Wehgeschrei töne voll Trauer das Forum!*

III. In murum Berolinensem (I)

(C. Arrius Nurus: Vallum Berolinense²) hexametris

*Infortunati, quorum iam moenia surgunt!³ –
 moenia? Numne hostes arcent civesque tuentur?
 Vallum istud miseros claustris et carcere frenat,
 rubrum n(e) effugiant paradisum. Mens mala vecors
 illis, qui vulgo se decoxisse fatentur.
 o!*

III. Auf die Berliner Mauer (I)

(aus Harry C. Schnur: *Der Wall von Berlin*) in Hexametern

*O unglückliches Volk, dem schon seine Mauern sich heben! –
 Mauern? Ja wehren sie denn dem Feind und beschützen die Bürger?
 Nein, es kerkert der Wall die Armen in Fesseln und Ketten,
 und verhindert die Flucht aus dem Rotparadiese. Verrückt ist,
 wer so offen bekennt den Totalbankrott und die Pleite!
 O!*

² Menippeische Satire, zuerst veröffentlicht 1962; Ndr. in: C.A.N., Pegasus claudus, Saarbrücken 1977, 263-275, Gedicht dort S. 171 (V. 4 vecorsque)

³ Ironische Anspielung auf Vergil, Aeneis 1, 437: o fortunati, quorum iam moenia surgunt (Aeneas beim Anblick des im Aufbau befindlichen Karthago)

IV. In Murum Berolinensem (II)

(C. Arrius Nurus: Vallum Berolinense⁴) distichis elegiacis
Tractu quasi psalmodico

Diffissos videas urbemqu(e) orbemque propinquos:
hic binos mundos tenvia saepta secant.
Conspecto muro, complectere mente, viator,
quam sit libertas proxima servitio.
Fallitur, impavida quisquis negat esse tuendam
cura: ni vigilas, haud mora, servus eris.

IV. Auf die Berliner Mauer (II)

(aus Harry C. Schnur: *Der Wall von Berlin*) in elegischen Distichen
Gleichsam psalmodierend

*Hier erblickst du die Stadt und die Erde zerschnitten in Nähe:
Nur ein dünner Verhau scheidet die zwiefache Welt.
Hast du die Mauer erblickt, so bedenke denn, Wanderer, im Geiste,
wie der Freiheit so nah immer die Knechtschaft auch wohnt.
Wer nicht wachsamem Sinns und furchtlos sorgt für die Freiheit,
täuscht sich: Gibst du nicht acht, bist du ein Sklave im Nu.*

⁴ Pegasus claudus (wie oben) S. 175; statt *Diffissos* dort *Dichotomon*, von Novák offenbar geändert aus Gründen der Prosodie und des Sinns, der aber auch in seiner Fassung etwas unklar bleibt; vielleicht war zu interpungieren: *Dichotomon videas urbemque orbemque: propinquos / hic binos mundos [...]*. Eine Ironie der Geschichte und Musikgeschichte ließ die Uraufführung dieses Werks unmittelbar nach der Attacke auf das World Trade Center stattfinden; vgl. oben Anm. 56 zu S. 18.